



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

71. De sacerdotum & Episcoporum officio et quare Ecclesia ad sacerdotium & Episcopatum non nisi continentes admittat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

nitatem eligentem, primum principium & fundamentum manifestum secundum diuinas regulas, & residuæ virtutis constitutam. Si autem aliquis presbyter aut diaconus aut subdiaconus postea ducat uxorem, aut concubinam, palam, aut occultè, sacro statim cadat ordine & deinceps idiota sit. Quod si & lector secundam ducat uxorem propter quædam & hoc forsitan irrecusabili necessitate, nullatenus ad altiore gradum, neque perfruaturs gradu maiori in sacerdotio, maneat autem in eodem gradu perpetuò, sed non ad tertias veniat nuptias: satis est enim si ad secundas. Si verò tale aliquid egerit, & ad secundas veniens nuptias, ad maiorem gradum venire festinauerit, exinde idiota erit & laicus, omnino sacro ministerio cadens. Pudicè etenim nobis per omnia pertinet viuere. Si enim tales constituti ij, qui in clero adducuntur, ordinentur, facilis eis ad episcopatum ascensus erit, & ex multis bonis viris facilius inueniuntur, qui adducantur ad primum gradum sacerdotij digni.

Iustinianus Imper. in. l. Nos semper. C. de Episcop. & cleric. De sacerdotum, & Episcoporum officio, & quare Ecclesia ad sacerdotium et Episcopatum, non nisi continentia admittat.

CAP. LXXI.

NOS semper omnibus modis sacrosanctis Ecclesijs prouidentes in honorem &

gloriam sanctæ, incorruptæ, & consubstantia-
 lis Trinitatis, per quam seruari tum nos ipsos,
 tum rempublicam persuasi iumus, sequentes
 doctrinam sanctorum Apostolorum, de eo
 quod debent eligi integerrimi & incorrup-
 tissimi sacerdotes, qui quidem ea re maximè
 constituuntur, vt suis precibus beneuolenti-
 am Dei clementissimi rebus publicis acqui-
 rant, præfenti constitutione sancimus. Nam si
 sancti & gloriosi Apostoli sacerdotium à Do-
 mino Christo Deo nostro accipientes, & om-
 nibus bonis terram implentes, suamque do-
 ctrinam omnibus tradentes, ne suæ quidem in
 hoc mundo concessæ vitæ vt salutis nostræ in-
 seruirent, pepercerunt, an non æquum est, eos
 qui in illorum munus succedunt, & sanctis Ec-
 clesijs sacerdotes præfunt, puram atque incor-
 ruptam vitam agere, & opes atque pecunias
 pro nihilo ducere, vitamque suam omnem ad
 clementissimum Deum referre ac dirigere.
 Par est igitur eiusmodi sacerdotes eligi & cre-
 ari, quibus neque liberi sint, neque posterij,
 propterea quod is qui huius vitæ curis & sol-
 litudinibus afficitur, quas liberi, vt qui ma-
 ximè parentibus adferunt, eius omne studium
 & cogitatio in Dei cultu, & rebus Ecclesiæ ver-
 sari non potest. Cum enim quidam adducti
 spe, quam in Deo positam & constitutam ha-
 bent, tum autem vt suorum animorum salute
 consulant, ad sanctissimas Ecclesias confugi-
 ant, suasque opes ac facultates ob eam causam,
 ijs

*Sacerdotes
 quare consti-
 tuantur.*

*Matrimonij
 cura & solli-
 citudo non con-
 uenit sacerdo-
 ti, qui tantis
 Deo vacare
 debet.*

ijs adferant & relinquant, vt in pauperes & egenos, aliosque præterea pios vsus impendantur, absurdum esset, minimeque conueniens, si episcopi in proprium lucrum prædamque eas pecunias reuocarent, aut in proprios liberos & consanguineos impenderent. Oportet enim episcopum nulla erga eos liberos, qui carne & corpore parantur affectione & studio prædeditum, omnium fidelium animos parentis charitate & beneuolentia comprehendere. His igitur de causis eos qui liberos & posteros habeant, creari episcopos prohibemus.

De coelibatu sacerdotum, & quod coniugati ad clericatum & gradus Ecclesiasticos nullo modo admittantur, videre licet plures leges & constitutiones in authent. de monachis collatione 1. tit. 5. §. Si quis autem fortè, & in authent. de sanctissimis Episcopis collat. 9. tit. 15. §. clericos autem. & in l. Eum qui probabilem, cum Glossa. c. de Episcop. & clericis atque in l. Existimamus. c. de summa Trinitate & fide Catholica. Quid facient Orientis Ecclesiæ? inquit Hieronymus, quid Aegypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?

Aduersus Vigilantium.

Imppp. Theodosius, Arcadius & Honorius in l. Mima, c. de Episcopali audientia. Habitibus Deo dicatarum virginum non debet ludibrio exagitari sub pœna corporalis supplicij & exiliij.

C A.